

tos semper, cupidosque, lectores. Quo quidem eorum studio factum est, ut, post Henr. Stephanum, multi, in ciuitatibus humanis fere omnibus, exorti sint, qui haec carmina ederent, in alias linguas converterent, enarrarent, emendarent. Stephanus enim, qui tot aliorum linguae Graecae auctorum libros e tenebris bibliothecarum in lucem publicam protulit, horum quoque odariorum quinque, et quinquaginta, Lutetiae Parisiorum edidit primus, <sup>31</sup> anno saeculi sexti decimi quarto, et quinquagesimo, quaternis. Vsum se esse ait duobus codicibus, quorum vnus in cortice arboris <sup>32</sup> scriptus fuerit, alter in membranis. <sup>33</sup> Sed primum non ostendit, nec vnde illos acceperit,

<sup>31</sup>. Vid. Stephanus schediasm. 3, 30. p. 122. supplem. To. 5. thes. Gruter. et dissertat. de stylo N. T. Graeco p. 12. Honert.: Scaeu. Sammarthanus Elogg. Gallorum lib. 4. c. 23.

<sup>32</sup>. Vid. Stephanus ad odar. 1. et 2, 4. De codicibus in charta corticea scriptis legi possunt Annales literarii Helmstadd. a. 1782. m. Sept. p. 193. f., in primisque operis, quod inscribitur *Nouveaux Traité de Diplomatie*, To. 1. p. 513. ff.

<sup>33</sup>. Henr. Stephanus in epistola ad Pe. Victorium, quam praemisit opusculis quibusdam Dionysii Halicarnassei, Lutetiae a. 1554. 8., ante Anacreontis carmina, a se editis: *Haec igitur, mi Victori, nunc accipe, dum me ad Anacreontis Teii editionem comparo: cuius tu quidem certe poësin vna ex oda, vel potius ex odario vno, quod a me acceperas* [vid. ad odar. 11, 5. in variet. lectionis], *ut ille olim ex ungue leonem, aestimasti: quantum vero ea in re iudicio valueris, tum demum facile intelliges, quum corpus totum protulero. Proferam autem, ut spero, propediem: et iam*

*protulisset, nisi me vana spes tenuisset, fore, ut ad duo eius exemplaria, quae diuersis in locis non sine immenso labore inuenire mihi contigit, tertium accederet. Nam ex duobus his alterum in membranis, alterum in cortice arboris, scriptum erat: illud confusum, et alicubi non satis emendatum; hoc adeo antiquum, ut in singulis verbis litera aliqua oculos fugeret: ut taceam, adeo diuersam fuisse elementorum formam a nostris, ut prius, an legi posset, cogitandum fuerit, quam an posset intelligi. Nec tamen interim sum passus in meis manibus, ut sine luce, ita sine fructu, tanto tempore versari. Ex vno enim Anacreonte tres feci: ut iam non Graecus tantum, sed Latinus etiam, et Gallicus, proditurus sit hic poëta: idque eo feci, ut etiam a linguae Graecae rudibus aliquam gratiam inirent. Iam in Catalogo librorum biblioth. Acad. Leidensis p. 396. n. 18. in codd. MSS. Vossian. [vid. Catal. librorum MSS. a Colomesio confectus p. 854. n. 90. opp. eius edit. Fabric. et Catal. codd. MSS.*